

† R. P. Aloisius Pichler (1869-1942) ²

(Prov. Austr.)

† R. P. Aloisius Pichler (1869-1942) ²

(Prov. Austr.)



Defletus P. Pichler non reddidit sese gloriosum et famosum in Congregationis nostrae regione, siquidem ex quinquaginta sui sacerdotii annis longe plures transegit qua humilis Lector iuvenatus; nunquam, ni fallimur, praedicavit aliquam missionem nec permultos exercitiorum cursus; libri, quos edidit, minime consecuti sunt largam illam diffusionem, ut libri Patris Schrijvers aliorumque confratrum. Nihilominus ipsi quoque aliquam Analectorum paginam dicari haud abs re esse videtur, cum fuerit procul dubio insigne Instituti Alfonsiani decus.

Praeclaris a Creatore dotibus ditatus: imaginatione poetica, mente philosophica, voluntate forti et constanti, animo nobili et ad optima quaeque aspiranti – inde a iuventute, ut olim Nepotianus, pectus suum fecerat « bibliothecam Christi » ³, culturam adeo vastam sibi acquirens, ut a P. Ge-

¹ Vide sepulcri imaginem in « Gli amici di S. Alfonso », 1948, p. 61.

² Cf. *Klemensblätter* 13 (1947), 16 s.; Longiorem vitam exaravit, sed nondum publicavit R. P. G. SCHERZ.

³ Vide S. HIERON., ep. 60 ad Heliod., n. 10 in fine; MIGNÉ PL, 22, 595.

rardo Diessel, suo olim in novitiatu Magistro, per iocum appellaretur « Doctor universalis ». In suo cubiculo, quod semper redolebat religiosam paupertatem summamque munditiem, non multos libros habebat, verum usque ad decem codices manuscriptos, continentes pretiosa excerpta; et praesertim in sua memoria quasi prodigiosa habebat immensos scientiae sacrae profanaeque thesauros, ita ut statim et ex tempore referre posset, quae de determinato argumento scripsit Aristoteles et D. Thomas et Dante et Calderon et Ibsen et F. W. Weber aliique. Huius ultimi poëtae prae-dilecti magnum carmen epico-romanticum *Dreizehnlinden*, praeter alia multa carmina, integrum e memoria recitare poterat!

P. Pichler callebat, praeter accuratissimam cognitionem linguae vernaculae, multas alias linguas, licet non omnes aequae perfecte, nempe latinam, graecam, hebraicam, italicam, anglicam, gallicam, hispanicam, lusitanam, bohemicam, polonicam, croaticam, hungaricam, et in senectute sua etiam scandinavas linguas addidit et haud semel danice praedicavit. Quamvis nunquam aliquam Universitatem frequentarit, in phisosophia aristotelico-scholastica tam egregie versatus erat, ut, cum ageretur de condenda Salisburgi Universitate catholica, ei cathedra philosophiae offerretur. Neque erat solum vir vastissimae eruditionis et profundus philosophus, sed etiam poëta eximius et, quod nobis plus valet, sacerdos religiosusque exemplaris, de cuius amicitia gloriabantur viri mulieresque eminentes, sive catholici sive acatholici, ut professores Otto Willmann et Iohannes Ude, poëtae Richard von Kralik, Eduard Hlatky, Franz Eichert, princeps Philipp zu Eulenburg, comitissa Mathilde Stubenberg ...

Sed adhuc nil fere diximus de huius eminentis confratris vita. Sicut P. Petrus Dam. Steidl¹, ita P. Aloisius Pichler erat Tyrolensis, ex pago Sankt Pankraz in valle Ulten, et in ultima sua poësi P. Pichler comparat pulcherrimam suam terram natalem magnifico templo ab ipso Deo miranda arte exstructo. Natalis dies eius est d. 23 Aug. 1869. Pater erat medicus veterinarius. Carissimae matris imaginem filius semper in tabula ante oculos habebat, praeter effigiem amici O. Willmann.

Annos natus septemdecim petiit admissionem inter Ligorianos, ad quos eum alliciebat et floridus tunc status Provinciae Austriacae et attrahens figura S. Clementis Hofbauer, licet nondum ad altarium honores elevati, et exemplum sui commilitonis Petri Winkler. In novitiatu iterum, ut antea in gymnasio Bolzanensi, ex pulmonibus laborare coepit, et iam praevidebatur a multis vicinus huius iuvenis finis, ita ut P. Provincialis Andreas Hamerle novitium aperte interrogaret: « Visne apud nos mori? » Sed Deus aliter de hoc adolescentulo infirmo disposuerat, prosequens illos 56 annos, quos Aloisius Pichler in familia nostra vivere potuit, abundanti sua bene,

¹ Eius necrologium habes supra, fasc. 2-3, p. 106 ss.

dictione. Ordinatus sacerdos 17 Sept. 1892, P. Pichler fere semper fuit Lector, primum in parvo iuvenatu Ketzelsdorf (1892-1896), postea in collegio Leoben, ubi simul erat Praefectus recens professorum, qui gymnasii austriaci septimam octavamque classem persolvebant (1896-1902), tum in collegio Mautern ut Lector philosophiae (1902-1906) (et certe diutius hanc cathedram tenuisset, si caelum Mauternense mitius esset), denique, cum variis interruptionibus, usque ad a. 1937 in iuvenatu Ketzelsdorf.

Annis 1896-1906 erat simul moderator periodici Monasteriensis *Maria-Hilf*, quod tamen nostra proprietates non est, et sub eius sagaci moderamine subscriptorum numerus haud parum crevit. Ut valetudini consuleret, iam a. 1929 in Dania, Provinciae Austriacae « Missione extera », per dimidium annum vixit et annis 1934 et 1935 per sesquiannum, inde ex a. 1937 autem per ultimos terrenae peregrinationis annos, etiam ab aatholicis ob suam vastam scientiam et solidam virtutem multum aestimatus. Mors accidit ex syncope cardiaca ibidem in nosocomio S. Elisabeth in pervigilio festi Annuntiationis a. 1942.

In Tomo II nostrae Bibliographiae, p. 322 habes elenchum operum Patris Pichler typis excusorum, quibus addendum est ex a. 1937 *Priesterliebe*, qui liber ad *Analecta* quoque non pervenit. Alia opera Auctor reliquit manuscripta, scil. *Der wahre Herrenmensch* (de virtute cardinali temperantiae), *Die Wage der Welt* (de virtute card. iustitiae), *Ein Büchlein von Gott*, *Das Reich der Gnade in der Dichtung*, *Sammelsurium von Versen* (carmina propria), *Im Lichte der ewigen Lampe* (carmina Archiepiscopi croatici Ioannis Šarič).

P. Pichler de S. P. N. Alfonso meritis est pulcherrima sua, sed libera translatione plurimorum carminum eius, inscripta *Gottesminne*, nova versione libelli *Visite* novaque vita, quae apparuit a. 1922. Haec recepit quidem a multis, praesertim exteris, praeclaras laudes, sed hunc philosophum et poetam deficiebat illa inquisitionum particularium constantia, quae in historiographo requiritur; id ipse sciebat et librum appellat tantum « *ein Charakterbild* ». Alia quoque scripta ad Institutum nostrum spectantia Patri Pichler debentur, nempe parvae vitae S. Clementis et Patris Diessel, maior biographia P. Andreae Hamerle, tandem publicatio pulcherrimorum carminum Vicarii Generalis P. von Smetana. Ergo defunctus confrater certe ad illos sodales pertinet, qui praeclare de nostra dilecta Congregatione eiusque Fundatore promeruerunt. Esto igitur eius memoria in honore.

Theologia moralis est scientia magis necessaria ad adiuvandas animas in aeterna salute consequenda.

(S. ALF., *Riflessioni utili ai Vescovi*, c. I, § 2).